

AD metallorum veram cognitionem ignorandum non erit, dum in primis adhuc speciebus existunt, in sulphure videlicet, ac in argento vivo duas habere formas, vnam masculinam, alteram vero femininam, quæ duo spermata maris atque feminæ, sulphuris prius, elementa masculina duo continet, ignem & aerem: posterius alia duo feminina, terram & aquam. Qua duobus comparantur in arte serpentibus, vni alato, terribili, alteri quidem alis carenti multo horribiliori. Hæc duo spermata si per naturam coniungantur in ventre Mercurij, qui propter suum ardorem vocatur ignis naturæ, & à nonnullis leo deuorans, & eius ventrem licet aurum & argentum subintrent, non absumentur, quod illo natura duriora sint, atque perfectiora. Mercurius est imperfectus, nihilominus aurum & argentum communia proueniunt ex eo. Argentum est substantia lunæ inferioris, vt aurum solis etiam inferioris. Mercurium igitur matrem occidi, ac mori oportet per dicta spermata, qui postquam semel mortificatus fuerit à natura, nunquam poterit amplius reuiuiscere. Nam vel tantillum congelatus in venis terrestribus, adest mox in eo granum auri fixum, quod ex duobus spermatis producit verum germen Mercurij: vt à plumbi cauernis videre licet, in quibus nulla minera locorum vbivis, in qua fixi granum verum non contineatur manifeste, id est, granum auri, vel argenti. Siquidem prima congelatio Mercurij est minera plumbi, in qua positum est à natura. Hoc vere multiplicari potest in suam perfectionem absque dubio vel errore, existens tamen in suo Mercurio non separatum à sua minera. Metallum enim in minera sua consistens, est Mercurius, à quo si granum separatur, vt pomum erit immaturum ab arbore sua desumptum, quod prorsus destruitur. Granum fixum est velut pomum, & Mercurius arbor. Non est igitur separandus ab arbore fructus, quia non potest aliunde nutrimentum accipere, quam à suo Mercurio, Maior est fatuitas in Mercurium ponere aurum & argentum, non secus atque discerptum pomum arbori rursus infigere. Vt igitur negotium hoc adimpleatur ex æquo, sumenda simul arbor cum suo fructu, quo denuo plantetur, citra fructus ablationem, in fertiliorē terram atque nobiliorem, quæ plus nutrimenti dabit vnicuique die, quàm prior ager in centum annis exhibuisset, ob ventorum assiduam agitationem. Altera terra, quod soli proxima sit, crescere vegetareque facit arborem, continuo rore, & assiduo sole in horto philosophico, mane, ve-